

Prophetia ad Judæorum calamitates pertinens.

1^o. Templi excidium à Christo sic prædictum narrat Matthæus : *Egressus Jesus de templo ibat , et accesserunt Discipuli ejus ut ostenderent ei ædificationes templi : ipse autem respondens dixit illis : videtis hæc omnia ? Amen dico vobis , non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruat. (Matth. 24. v. 1. et 2.)* Atqui accuratè impletum fuit hoc vaticinium. Narrat enim Josephus , post expugnatam à Tito urbem , nulla exitisse templi vestigia. (*Lib. 7. de bello Judaico.*) Apud eundem historicum , Eleazar in sermone ad Judæos affirmat diruta fuisse , atque effossa ipsa templi fundamenta. (*Ibid. cap. 8. n. 7. pag. 430. Edit. Havercampi, an. 1726. Tom. 2.*)

2^o. De urbe dixerat Christus : *Veniens dies in te , et circumdabunt te inimici tui vallo , et ad terram prosternent te , et non relinquent in te lapidem super lapidem.* (*Luc. 19. v. 43 et 44.*) Atqui prædictionem hanc suum consecutam esse effectum sic testatur Josephus : *Totum vero reliquum civitatis ambitum ita solo æquavere , qui eum destruebant , ut ne quidem unquam habitata fuisse vix fidem amplius faceret eo accedentibus.* (*Ibid. lib. 7. cap. 1. tom. 2. pag. 403. n. 1.*)

3^o. Luctuosi illius excidii circumstantias describit Christus , scilicèt tempus : *Amen dico vobis , quia non præteribit generatio hæc , donec omnia hæc fiant.* (*Matth. 24. 34.*) Et revera post 36 vel 37 annos hæc omnia contigerunt. Significavit etiam urbem esse obsidendam : *Circumdabunt te inimici tui vallo , . . . et coangustabunt te undique.* (*Luc. 19. 43.*) Atqui hæc singula evenisse refert historia Denique addit Christus Judæos malis urgendos esse , qualia à mundi incunabulis non extiterè : *Erit enim tunc tribulatio magna , qualis non fuit ab initio mundi.* (*Matth. 24. 21.*) Atqui horrendam hanc ærumnam expertos fuisse Judæos ,

constat ex istis Josephi verbis : *Omnium , post condita secula , res adversæ , si cum eis conferantur , quæ Judæis contigerunt , longe ab iis superari mihi videntur.* (*in præmio , parag. 4.*)

4^o. Ea quæ cladem hanc consecuta sunt non minùs accuratè prædixit Christus , nempe Judæos esse alios gladio interimendos , alios è patriâ extorres fore , alios servituti addicendos : *Cadent in ore gladii , et captivi ducentur in omnes gentes.* (*Luc. 21. 24.*) Atqui Prophetiam hanc suam habuisse exitum patet ex historiâ Josephi. Obsidionis enim tempore , tum ferro , tum fame perierunt undecies centena Judæorum millia , capta verò nonaginta septem millia. Denique numerus eorum qui , durante bello , occubuere , fuit , teste Josepho , 1337490. Postea Imperatoris Adriani temporibus , post ingentem Judæorum cladem , tristes eorum reliquæ per universum orbem dispersæ sunt , et plerique vilium instar pecorum sub hastâ venditi.

Dices : Potuit Christus futuras Judæorum calamitates ex causis naturalibus prænoscere. Ipsius enim tempore , Judæi omnibus erant odio et contemptui ; tum quia unum colebant Deum ; tum quia omnem cum aliis gentibus societatem refugiebant. Noverat præterea Romanos , præpotentes illos Judæorum dominos , ipsorum ritibus esse infensissimos ; potuit ergo ex iis circumstantiis futura gentis Judaicæ infortunia præagire.

Resp. Neg. ant. Neque enim ob gentis Judaicæ odium , Hierosolymam everterunt Romani : quinimò nihil omisit Titus , ut Judæos ad obedientiam revocaret. Sæpe Josephum ipsorum tribulem ad eos misit , à quo saniozem ad mentem adducerentur. Ut templum ab incendio defenderet diligentem adhibuit curam ; ignem , statim atque emicuit , extinguere conatus est ; vetuit ne quidquam in templum milites auderent. Præterea Judæis non multum causæ fuit cur in Romanos

rebellarent; siquidem suis uti legibus permissum ipsis fuerat. Quantum Imperatoribus esseat obsequiosi, quo tempore futuras eorum calamitates Christus prænuñtiabat ex istis patet verbis: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.*

Denique esto Christus ex Judæorum ingenio sibi perspecto potuerit futuros tumultus, et cladem inde consecuturam augurari: quæ verò sagacitate, si merus homo fuit, prænoscere potuerat illius excidii circumstantias tam multiplices tamque singulares? Quo pacto prævidere potuit hujus belli consecutaria tam luctuosa, ut nihil simile in historiâ reperiâs?

Prophetia Christi, quæ Apostolos et Ecclesiam spectant.

1º. Prædixit Christus atrocem Judæ proditionem, Apostolorum, quo tempore passurus erat, fugam et triplicem Petri negationem. 2º. Prænuñtiavit fore ut, postquam in cælum conscendisset, Spiritum Sanctum in Apostolos effunderet, cujus virtute roborati, nec ullis vexationibus, nec suppliciis, nec morte ipsa vincerentur, sed intrepidè ipsius testes existerent. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes, usque ad ultimum terræ.* (*Act. 1. 8.*) Atqui diversa hæc oracula eventu comprobata sunt. Apostoli enim post Spiritus Sancti in ipsos illapsum, tanta constantia, tantaque animi firmitate instructi sunt, ut eam superare nec minæ, nec supplicia potuerint. Præ lætitiâ gestiunt, quod magistri sui contumeliarum participes fuerint. *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* (*Act. 5. 41.*) Quânam autem humanâ perspicaciâ potuisset Christus prænoscere Apostolos, qui tantum ipsi amorem testati fuerant, tantamque ostentabant constantiam, eum ignavè deserturos esse, et præsertim

Petrum eò perfidiæ deventurum, ut dilectissimum magistrum turpiter abnegaret? vel si ex eorum perspecta indole suspicari hanc defectionem potuit, quo pacto subsecuturam eorumdem fortitudinem prævidit?

3º. Prædixit Christus, omnes gentes, post ipsius mortem, ad fidem esse adducendas, ad verique numinis cultum, rejectis idolis, pertrahendas. *Et ego, si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum.* (*Joan. 12. 32.*) Sic etiam confidenter affirmat: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in Regno cælorum: filii autem Regni (id est, Judæi) ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* (*Matth. cap. 8. v. 11 et 12.*) Quibus verbis clarè designantur Judæorum rejectio, et gentium ad fidem electio. Eodem pertinet jussum istud Apostolis datum: *Euntes ergo docete omnes gentes.* (*Ibid. cap. 23. v. 19.*)

Atqui stupenda hæc vaticinia eventu confirmata sunt. Vix enim Evangelium nuntiare cœperunt Apostoli, cum splendidum illius lumen longè latèque propagatum fuit. Indignatur Synagoga, speratque fore ut Christi Discipulos varia in loca dispergendo, subitum illud incendium extinguat. Sed inde contigit ut latius pervagaretur. Apostoli enim apud varios populos distracti, eos Evangelicâ doctrinâ imbuerunt, ab inaniumque numinum cultu, ad Christianam Religionem traduxerunt. Quod ita celeriter accidit, ut priusquam obiissent Apostoli, fides per totum orbem disseminata fuerit. *Fides vestra, inquit Paulus Romanis, annuntiat in universo mundo.* (*Rom. 1. 8.*) Ad Colossenses etiam ita scribit de Evangelio: *Pervenit ad vos, sicut et universo mundo est, et fructificat, et crescit sicut in vobis.* (*Coloss. 1. 6.*)

Quis autem nisi divino lumine illustratus, certò prænoscere potuisset, fore ut Evangelium inter

immanissimas vexationes, omnisque generis obstacula, tum celeriter diffunderetur? Quis tempore Augusti sub quo natus est Christus, universum orbem inspiciens falsis numinibus addictum, sibi finxisset aliquando futurum, ut Cæsarum Religio, ipsis etiam invitis, destrueretur, et Christiana in ejus locum succederet? Quis sola perspicacitate humana fretus, vel conjiciendo præ sagire ausus fuisset, Ethnicos hanc religionem suscepturos esse, cujus institutor à suâ gente rejectus, et probrosâ morte damnatus fuerat; cujus nec sermones audierant, nec miracula viderant; cujus doctrina ipsorum præjudiciis et cupiditatibus adeo erat ingrata? Ergo veris Prophetiis nititur Religio Christiana, ac proinde divina est.

ARGUMENTUM IV.

Ex Martyrum fortitudine.

Vera est Religio Christiana, si Martyrum in ea defendenda fortitudo, non sit naturæ, sed gratiæ et virtutis divinæ opus: atqui rem ita esse nemo sanus dubitaverit, si Martyrum multitudinem, varia suppliciorum genera, et modum quo ea perpessi sunt, consideret.

1°. Quidem hæc fortitudo non in paucis eluxit, quos natura fortes et impavidos fecerit; sed in hominum penè infinita multitudinæ, cujuscumque ætatis, sexûs et conditionis, in viris et mulieribus, in senibus et adolescentulis, in pueris et puellis, in nobilibus et plebeis, in doctis et rudibus. Quanta fuerit hæc multitudo probat persecutionum numerus. Decem sub Imperatoribus Ethnicis, per tria Ecclesiæ priora secula recensentur. Sed omnium crudelissima, sive temporis diuturnitate, sive locorum amplitudine, sive tormentorum atrocitate, fuit sub Diocletiano, ejusque in imperio collegis Maximiano et Galerio.

Hæc toto duravit decennio, et ab Oriente in Occidentem terram vastavit universam. Omnis sexûs, conditionis et ætatis homines in flammam conjecti sunt, et gregatim ob nimiam multitudinem, ignibus consumpti. Pace sub Constantino compositâ, et sedatis intrâ Imperium ergâ Christianos vexationibus, in eos immaniter desævit Sapor, Rex Persarum. Tum verò tot Christiani martyrii palmâ nobilitati sunt, ut teste Sosomeno, ii quorum nomina servabantur ab Ecclesiâ, ad sexdecim millia pervenerint, et innumerabiles fuerint illi quorum nomina exciderant. (*Hist. lib. 2. cap. 14.*) Hæc autem Martyrum fortitudo tam universalis, non naturæ, sed divinæ virtuti tribuenda est.

2°. Idem probant varia et acerbissima quibus vexati sunt tormenta. Expugnandæ Martyrum constantiæ adeo cupidi erant Tyranni, ipsorumque ministri, ut certatim novum quoddam supplicii genus excogitarent. Ex Christianis alii crucibus affixi, vel acutis stipitibus impositi erant; alii feroces ad bestias damnati, et ferarum pellibus induti, cruentis canum dentibus laniandi objiciebantur, multi pice delibuti, instar facium in nocturni luminis usum palam adhibebantur: plurimi admotis facibus incensi, vel prunis subjecti lento igne singulis in membris torquebantur. Denique fractis ossibus, ruptis viscerum compagibus, dilaceratis membris, jam nullus novis vulneribus supererat locus. Porro tot homines tanta supplicia tolerare, cum uno verbo ex iis sese eximere facile esset, humanæ profectò non est naturæ sibi soli permisæ.

3°. Divinam et efficacissimam opem demonstrat modus quo tantos cruciatus Martyres tolerabant. Coràm Tyrannis stabant impavidi, plus mori, quam absolvi cupientes. Ad tormenta, quasi ad victoriam, properabant alacres, et interiorum animi lætitiâ in vultu præferentes. Ita compa-

ratus fuit S. Ignatius, ut patet ex sua ad Romanos Epistola; ita Martyres Lugdunenses, ut testatur Ecclesia Viennensis; ita et alii Martyres affecti erant, utin ipsorum actis legere est apud *Ruinart*: atqui sensus illos tantamque fortitudinem viribus humanis tribuere non licet, sed efficaci omnipotentis Dei auxilio, qui suos Athletas duris in certaminibus corroboravit; ergo sive Martyrum multitudinem, sive horrenda quæ perpessi sunt tormenta, sive modum quo ea tolerârunt spectaveris, non confiteri non poteris divinam esse Religionem, pro cuius veritate tot illustres victimæ fortiter occubuerunt.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Sic habet Origenes tertii seculi scriptor; *Deus opportunis temporibus compescuit eos qui in Christianos insurgerent, et eos interficere in animo haberent. . . . pauci per intervalla temporum, et facile numerabiles, pro Christianâ Religione mortem obierunt. Sed eorum gentem prorsus extinguere nunquam permisit Deus, imo consistere voluit. (Lib. 3. contra Celsum, Tom. 1. pag. 452. n. 8. Edit. de la Rue.)* Ergo, teste sancto Doctore, pauci extiterunt Martyres. Ita *Dodwel*.

Resp. Dist. conseq. Pauci extiterunt Martyres comparatè ad eos qui persecutioni fuerunt superstites, conc. pauci absolute, neg.

Ibi nimirum exponit Origenes, Deum peculiari in suam Ecclesiam providentiâ, Tyrannorum rabiem ita frenasse, ut Christiani superstites majori fu erint numero, quàm ii qui pro fide occubuerunt. Istos verò posteriores non paucos fuisse ita ipse testatur: *Mulli è nostris, quamvis probè scirent se, si in confitendo Christianismo persisterent, morituros; contra absolutum iri et suas facultates recuperaturos, si desisterent; tamen, despectâ vitâ, volentes mortem pietatis causâ occubuerunt. (Ibid. lib. 2.*

pag. 404. n. 17.) Præterea certum est, post Origenis obitum, Tyrannos in Religionem Christianam atrocius desæviisse.

Obj. 2^o. Quinque tantum Religionis Christianæ persecutores recenset Lactantius (*de morte persecut.*) Præterea Imperatores quos tanquam atroces et sibi infensissimos exhibent Christiani, plerumque mansueti fuerunt, ut Trajanus, Marcus Aurelius. Quo pacto igitur tantus esse potuit martyrum numerus?

Resp. Id consilii non habuit Lactantius, ut de singulis Religionis Christianæ oppugnatoribus mentionem faceret, sed de iis tantum qui acerbissimo et singulari mortis genere divinam ultionem experti sunt. Qualis autem fuerit illorum ergâ Christianos clementia, ex horrendis edictis et suppliciis patet, quibus Christi Discipulos insecti sunt. Hanc verò credulitatem non obstitisse, quominus ex iis quidam, veluti Principes humani commendarentur, nihil mirum est. Ipsorum enim in Christianos sævitias apud Paganos pietatis nomen obtinebat. Cujus rei insigne exemplum videre est in Suetonio qui Neronem eo nomine laudat, quod Christianæ fidei cultores variis cruciatibus conflictasset.

Obj. 3^o. Qui martyrum nomine decorantur, ii non Religionis, at seditionis et rebellionis causâ interfecti sunt; ergo in Religionis Christianæ gratiam nihil probat quæ ostentatur martyrum multitudo.

Resp. Neg. ant. 1^o. Quia si Christiani fuerunt seditiosi, cur legio Thebana quæ fortissimos belatores numero 6600 complectebatur, non rebellavit? cur vim armis non repulit? cur tanquam agni mitissimi, armis ultrò depositis, sese cruciandos obtulerunt? 2^o. Scribit Tertullianus ita numerosos fuisse Christianos, ut Romanum Imperium evertere potuissent, si adversus Imperatores arma capessere voluissent: atqui tamen ita

erant à seditione alieni, ut mortem, licet acerbissimam, licet injustam, patienti animo tolerarent. 3°. Varia Imperatorum edicta refert eruditus Buller in opere cui titulus: *L'Etablissement de la Religion Chrétienne, par les Auteurs Païens*: atqui ex iis nullum occurrit in quo seditionis crimen objiciatur Christianis. Eam tantum ob causam damnati sunt, quod Imperii Deos adorare, iisque thura incendere detrectarent. 4°. Illud à martyribus Christianis omnem removet seditionis et rebellionis suspicionem, quod inter ipsa tormenta pro Imperatoribus preces sæpius funderent.

Obj. 4°. Martyrum Christianorum constantia tribuenda est vel stupiditati, vel inanis gloriæ cupidini, vel emolumentum cujusdam temporalis spei, vel fanatico furori; ergo Religionis Christianæ veritatem non probat.

Resp. Neg. ant. Quoad singulas partes. 1. Quidem Martyrum constantia stupiditati perperam adscriberetur: ex iis enim plurimi non minus eruditione et ingenio, quam morum sanctitate insignes fuerunt. Quis stupidos dicere ausit Ignatium, Polycarpum, Justinum, Irenæum, Cyprianum, etc. quorum in scriptis pariter elucent doctrina et pietas? Præterea quantumvis plumbei et hebetes fingantur homines, non ideo innatum omnibus vitæ amorem exuunt. Quo pacto igitur fieri potuit, ut homines innumeri eò stupiditatis venerint, ut sine causâ inter acerbissimos cruciatus vitam abjecerint?

2°. Non minus absurdè inanis gloriæ cupidini tribueretur martyrum fortitudo; tum quia prioribus Ecclesiæ seculis, nihil magis probro erat et dedecori quam nomen Christianum; tum quia paucos reperire est, quos ita moveat gloriæ desiderium, ut pro ea consequenda nihil refugiant periculi; fieri ergo non potuit ut innumeri homines cujuscumque sexûs, ætatis, conditionis, vanæ gloriæ illecebris capti, durissimam mor-

tem sustinuerint. Tandem plerique martyres sperare non potuerunt, fore ut suum nomen ad posteros transmitteretur: neque enim ignorabant, ex iis qui pro fide moriebantur, plurimos oblivioni tradendos, et insigniores tantum famæ celebritatem esse consecuturos.

3°. Denique Christianos ad Martyrium non rapuit furor quidam fanaticus. Si enim contigerit aliquando, ut nonnulli homines fanatici, fervidæ imaginationis æstu abrepti, pro defendendis opinionibus absurdis vitam projecerint, brevi evanuit hæc insania: nunquam simul eodemque tempore invasit homines, linguâ, moribus, locis à se invicem disjunctos: plurimum igitur discrepat ab illorum martyrum constantia, qui eodem tempore, per diversas orbis partes pro fide strenuè occubuerunt. Præterea nihil à fanaticorum vesania magis alienum est, quam ea animi tranquillitas et moderatio, quæ in martyribus longos inter cruciatus eluxit.

Obj. 5°. Suos quæque Religio martyres habuit, suos Pagani, suos Hæretici, jactant; ac proinde nullius est momenti argumentum in gratiam Religionis Christianæ ex martyribus deductum.

Resp. Inter Christianos martyres et alios plurimum est discriminis: priores enim numero prope sunt infiniti. Alii verò pauci numerantur. Præterea martyres qui primis Ecclesiæ seculis pro fide Christiana moriebantur, maxima ex parte, vel Judaicis ritibus, vel gentilium superstitionibus addicti fuerant; pro Religione ergo nova eique opposita in qua fuerant ab ortu instituti, tot cruciatus patiebantur: alii verò pro Religione avita, in qua nati fuerant et educati, occubere. Denique Pagani et Hæretici martyres pro dogmatibus et opinionibus speculativis passi sunt, in quibus facile deluditur et decipit imaginatio. Christiani autem martyres Ecclesiæ nascentis tanta supplicia perpessi sunt, pro confirmandis factis sensibilibus

et publicis, in quibus decipi non potuerunt; nempe affirmabant vera esse miracula, quæ à Religionis Christianæ præconibus edita fuerant, et quorum vis ineluctabilis eos ad fidem Christianam adduxerat. Ita inter alios SS. Cyprianus, Justinus, Quadratus, etc. Numquid autem fieri potest, ut homines tanto ingenio præditi, pro factis quorum ipsis comperta est falsitas, mortem adeant durissimam?

ARGUMENTUM V.

Ex Religionis Christianæ propagatione.

Religio præjudiciis et cupiditatibus contraria, subsidiis humanis destituta, modis omnibus impugnata, et tamen per univrsam orbem celeriter diffusa, non nisi Deum suæ propagationis autorem habere potuit: atqui ita se habet Religio Christiana.

1°. Quidem erat præjudiciis opposita. Suadendum enim erat Judæis, ut legis Mosaicæ ritus et ceremonias, quibus erant addictissimi, desererent; ut quem hominem veluti nefarium impostorem, probrosâ morte damnauerant, eundem tanquam verum Deum, genuinum Messiam, et generis humani liberatorem agnoscerent et adorarent; atqui nihil erat à Judæorum præjudiciis magis alienum. Persuadendum erat Paganis ut, veluti inania simulacra rejicerent, quos hactenus coluerant Deos; ut eorum templa et altaria everterent, ut sacrificia et superstitiones, quibus tot à seculis assueti erant, detestarentur; ut Jesum cruci à Judæis affixum tanquam verum Deum, venerarentur: atqui hæc omnia ex adversa fronte pugnabant cum receptissimis apud Paganos, et longo seculorum tractu firmatis opinionibus; ergo 1°. Religio Christiana præjudiciis vetustate roboratis opposita erat.

2°. Et cupiditatibus. Nullibi enim vitis indul-

get, sed omnibus bellum indicit; dura et austerâ tradit præcepta. Jubeat motus animi intra moderationem coercere, sensus corporeos conflictare, voluptates fugere, inimicos diligere, injurias condonare, paupertatem amare, divitias spernere, non ipsos despicerere, et alia multa quæ naturam humanam eterrent. Bona quidem suis cultoribus promittit; sed futura, sed nostris sensibus impervia; hominum ergo quibus proponebatur cupiditates, plurimum offendeat Religio Christiana.

3°. Humanis omnibus destituta fuit præsiidiis, quæ novæ doctrinæ gratiam possunt conciliare; quænam enim sunt potissima hæc adjumenta? Nonne dotes præconum naturales? Nonne Principum autoritas? nonne temporalis emolumentis spes quædam injecta? atqui omnibus illis subsidiis caruit Religio Christiana; ipsius nimirum præcones sunt piscatores, nullis divitiis, nullis viribus, nullâ eloquentiâ, nullis armis instructi; sed ignobiles, illiterati, pauperes et ferè nudi; nullâ boni temporalis promissione gente prolectant et alliciunt; suis sectatoribus in præsentem vitâ nihil spondent præter ignominiam, ærumnas, supplicia; Principes autem prioribus seculis, non patronos, sed intensissimos hostes habuit Religio Christiana; ergo 3. etc.

4°. Modis omnibus impugnata fuit. Statim ab hujus incunabulis, in ipsius excidium conspirabant ubique vigens Paganismus, Philosophorum subtilitas, Rhetorum eloquentia, Politicorum prudentia, Populorum superstitio, Sacerdotum invidia, Judæorum perfidia, Tyrannorum immanitas, et omnia suppliciorum genera; ergo 4°. etc.

5°. Non obstiterere tot difficultates, quominus Religio Christiana per univrsam orbem sese brevi diffuderit. Tam stupendi progressus testis est, exeunte primo seculo, Plinius Asiæ proconsul: non civitates tantum, inquit, sed vicos etiam atque

agros Christianæ superstitionis contagio pervagata est. (Lib. 1. Epist. 97.) Usque eo, ait Seneca apud Augustinum, sceleratissimæ gentis Christianæ consuetudo convaluir, ut per omnes jam terras recepta sit; victi vicioribus leges dederunt. (Lib. 6. de Civitate Dei, cap. 11.) Testes inter Christianos solum appellabimus Tertullianum, qui secundo seculo Romanos sic alloquitur. *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella . . . castra ipsa, palatium, senatum, forum, sola vobis relinquimus templa.* (Apologet. c. 37. pag. 30.) Ergo 5^o. etc. ergo, etc.

Et vero, vel orbis universus Religionem Christianam amplexus est propter miracula, vel sine miraculis: si primum dixeris, divina est Religio Christiana; si secundum dixeris, omnium miraculorum maximum est, ab ignobilibus et infimæ plebis hominibus, tam late celeriterque propagatam fuisse eam Religionem, quæ tot impedimenta superanda habuit; tanti enim prodigii solus Deus auctor esse potest, qui voluntatis humanæ quo voluerit inclinandæ omnipotentissimam habet voluntatem, ut ait Augustinus. Eodem hoc argumento sic incredulos urget S. Doctor: *Si miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod (resurrectionem Christi) terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* (Lib. 22. de Civit. Dei, cap. 5. tom. 7. pag. 660.)

Solvuntur objecta.

Objicies 1^o. Propagationis celeritas falsis Religionibus, ipsique errori communis est; siquidem Paganismus, Mahumetismus, Lutheranismus et Calvinismus celeres habuere progressus; ergo Religio Christianæ veritatem non probat illius propagationis celeritas.

Resp. Disting. ant. Communis est, sed diversis modis, conc. eodem modo, neg.

Porro ex sola propagationis celeritate, veram

et divinam esse Religionem Christianam non colligimus; siquidem error aliquando promptius serpit, quam ipsa veritas. Sed nostræ Religionis veritatem et divinitatem ex eo concludimus, quod licet præjudiciis et cupiditatibus ingrata, humanisque omnibus præsidii destituta, imò omnibus adversus eam conspirantibus, per orbem tamen universum disseminata fuerit. Quod totam fere terram occupaverit Paganismus, nihil est quod miremur: cupiditates enim innatamque ad libidines propensionem nutriebat, Principumque autoritate nitebatur.

Idem de Mahumetismo dicendum est. Nihil divini arguit ea qua propagata fuit celeritas. Non persuasione, sed vi et ferro, inter arma et cædes accrevit. Contra vero Religionem Christianam Apostoli, non occidendo, sed moriendo; non armis, sed crebris prodigiis, morumque eximiâ sanctitate per totum orbem diffuderunt. Pariter Religio Lutherana viis prorsus humanis suam assecuta est propagationem. Patronos habuit viros doctos et Principes, aliunde meliora ipsius dogmata ingenitis cupiditatibus maxime sunt accommodata: Clericis nempe conjugia permittunt, Religiosos suis liberant votis; peccatorum confessionem, jejuniâ et alia bene multa naturæ corruptæ importuna sustulerunt; ergo Religio Christiana, quoad modum quo propagata fuit, insigniter discrepat à prædictis Religionibus.

Inst. Religio Christiana suos Imperatorum potentia edictisque debet progressus; ergo modo prorsus humano propagata est.

Resp. Neg. ant. Tribus enim prioribus seculis, antequam Imperatores fierent Christiani, igne, ferro, et omni tormentorum genere vexati sunt Christi Discipuli; in eorum perniciem promulgata sunt sævissima Principum edicta. *Tout ce que le monde a de puissant et de terrible, inquit D. D. de Montazet, se réunit pour défendre l'idolatrie,*

et pour étouffer l'Eglise dans son berceau. Les Princes dictent des édits sanglans ; les Magistrats les exécutent avec une rigueur barbare ; des millions de victimes sont immolées ; des ruisseaux de sang coulent dans toutes les parties de l'Empire Romain. (Inst. Past. pag. 132.) Atqui tamen tribus seculis prioribus totum fere orbem pervagata est Religio Christiana, ut jam ostendimus ; ergo Imperatorum auctoritati tribuenda non est ipsius propagatio. Præterea quibusnam Imperatorum edictis adscribenda est ipsorum Principum conversio, qui Evangelii jugo ferocia colla subdiderunt, jussi incendere quod prius adoraverant, et adorare quod incenderant ?

Inst. Constantini ad Christum conversio in causa fuit, cur tam late sese diffunderet Religio Christiana : namque *Regis ad exemplum*, ut ait Poëta, *totus componitur orbis* ; ergo Religio Christiana sua Imperatoribus debuit incrementa.

Resp. Neg. ant. 1°. Quia ante Constantinum Imperatorem, qui primus nomen Christo dedit, longe lateque per orbem expatiata erat Religio Christiana, ut constat ex dictis. 2°. Quia gentes innumeræ, extra Constantini ditionem, rejectis falsorum Numinum simulacris, ad Christianorum castra transierant. 3°. Quia nedum gentes plurimæ Principum exemplis ad fidem fuerint adductæ, è contrario tribus ante Constantinum Ecclesiæ seculis, Imperatores hortationibus, minis, horribilibus edictis populos à Religione Christiana, quantum in se erat, deterrebant.

Objic. 2. Christi et Apostolorum temporibus, orbis erat litteratus, jamque sordescere incipiebat insanus idolorum cultus, ac proinde Religioni Christianæ locum facile cessit idololatria ; ergo minime necesse est ad virtutem divinam confugere.

Resp. 1°. Quamvis ad deserendam idololatriam orbis fuisset propensus, numquid idcirco paratus erat ad eam Religionem suscipiendam, cujus aus-

tera

tera sunt dogmata, cupiditatibus et præjudiciis, quæ tunc dominabantur, ingrata ? 2°. *Ætate* Demosthenis, Euripidis, etc. Græci non minus erant litteris exculti, quam Romani tempore Apostolorum : atqui tamen ridiculum idolorum cultum non abjecerunt. 3°. Quantumvis litteratus fingatur orbis Apostolorum temporibus, certum est id Religionis Christianæ progressibus potius obstitisse, quam profuisse. Nonne Philosophi, nonne Oratores, nonne eruditi, omnes ingenii sui vires adversus fidem Christianam contulerunt ?

Obj. 3°. Ad amplectendam Religionem Christianam populos impellere potuit solus novitatis amor ; ergo minime necesse est ad virtutem divinam confugere.

Resp. Neg. ant. Novitatis enim amor homines non impellit ad eam Religionem suscipiendam, quæ ipsorum commodis et fortunæ plurimum nocet. Quis autem nesciat plerosque Paganos, qui Religionem Christianam profitebantur, suis bonis fuisse exutos, ab officiisque et dignitatibus Republicæ exclusos ? Præterea novarum rerum cupidine nonnulli quidem excitari possunt, nequam verò permultæ et universæ gentes. Denique amor vitæ longè potentius in homines habet imperium, quam novitatis studium ; quis ergo crediderit innumeros homines novitatis illecebris ad eam Religionem fuisse pertractos, quæ suos discipulos cruciatibus et ipsi morti exponebat ?

Obj. 4°. Religionem Christianam primum non suscepit nisi plebs ignobilis, imperita, ac proinde credula, ut ipse declarat Apostolus : *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles ; (I. Cor. I. 26.)* ergo nihil habet divini Religionis Christianæ propagatio.

Resp. 1°. Neg. ant. Quod dicitare solent increduli, nempe Religionis Christianæ non alios primitus fuisse sectatores, quam plebeios et ignobiles,

omniñò falsum est. Dùm enim Christus ipse degeret in terris, discipulos habuit genere, conditione et doctrinâ conspicuos; Nicodemum scilicet Judæorum Principem, (*Joan. 3. v. 1. et 2.*) Regulum quemdam Capharnaiticum, (*ibid. cap. 4. v. 46 et 53.*) Jairum Synagogæ Principem, (*Luc. 8. 41.*) Lazarum et sorores ejus, (*Joan. 12.*) Zachæum Publicanorum principem, (*Luc. 19. 2.*) Centurionem, miraculorum quæ mortem Christi illustrârunt testem oculatum, (*Matth. 27. 54.*) Josephum ab Arimathæa nobilem Decurionem, (*Marc. 15. 43.*) et alios plures generatim tantùm ab Evangelista sic indicatos: *Ex Principibus Judæorum multi crediderunt in eum.* (*Joan. 12. 42.*) Paulò post Christi mortem, innumeri fidem amplexi sunt, tùm Judæi, tùm Gentiles, inter quos plurimi erant genere vel doctrinâ illustres.

Quamvis autem in ipsis Ecclesiæ incunabulis multi extiterint Christiani genere et scientia nobiles, dicere tamen potuit Apostolus: *Non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; si nimirum spectetur immensa credentium multitudo.*

Resp. 2º. Neg. conseq. Esto fides Christiana primum à plebeiis duntaxat hominibus suscepta fuerit, non ideò nutabit argumentum ab illius propagatione deductum. Norunt enim omnes rudem plebeculam suæ Religionis, suis institutis, suis moribus, non minus tenaciter adhærere, quàm viros nobiles et eruditos. Quo pacto igitur accidit, ut homines imperiti et plebei à falsorum numinum cultu, in quo nati fuerant et instituti, ad eam Religionem traderentur, quæ cum ipsorum præjudiciis, cupiditatibus et consuetudinibus pugnabat, quæ eos durissimis vexationibus et mortis periculo exponebat? Contingere profecto non potuit tam mirabilis animorum conversio, sine certissimis argumentis, sine splendidis miraculis, sine potentissimo divinæ gratiæ auxilio.

ARGUMENTUM VI.

Ex Doctrinæ Christianæ excellentia.

Doctrinæ Christianæ excellentiam nonnisi raptim perstringere jubet brevitatis. Hæc autem sese prodit, 1º. in ea quam tradit Dei notione. Eum quippè Deum colendum proponit, qui unicus est, omnique perfectionum genere cumulativissimus; qui universum orbem creavit summè potens, et conditum regit ac moderatur summè sapiens, et providus; qui nullis circumscribitur temporum locorumve limitibus, sed ubique sic adest, ut intimam ejus præsentiam nihil effugere valeat; qui virtutis remunerator est, scelerumque vindex: atqui tam sublimis Dei cognitio non arte humanâ inventa fuit et excogitata; quàm enim turpiter circa Dei naturam erraverint viri antiquitatis vel præstantissimi, jam exposuimus. Quo pacto igitur fieri potuit, ut Apostoli, homines illi rudes et sine litteris, tam magnifica de Deo tradiderint, nisi ipso revelante et inspirante?

2º. Elucet Christianæ Disciplinæ præstantia, in exponendis ergà Deum nostris officiis, cultuque ipsi debito. Quem enim Deo debemus cultus, maximè situs est in intimis reverentiæ, obedientiæ, amoris, grati animi et fiduciæ sensibus: atqui hujusmodi sensus præcipit, excitat et fovet Disciplina Christiana. Nempe, tùm reverentiam, dùm exhibet Deum, ut supremum rerum omnium Dominum, in omnique perfectionum genere et gradu infinitum: tùm amorem gratumque animum, quia nihil boni in nobis inesse prædicat, quod à Deo non acceperimus, et quia immensam Dei benignitatem in redemptionis nostræ mysterio demonstrat: tùm fiduciam, dùm nobis Christum Dominum proponit, non ut otiosum rerum nostrarum spectatorem, sed maximè de nobis sollicitum, utpotè qui ergà nos gerat tenerrimos

amici, fratris, parentis affectus, et apud Patrem suum nostri Pontificis deprecatorisque personam sustineat. *Habemus*, inquit Christiani, *Pontificem magnum, qui penetravit Calos, Jesum Filium Dei... eadem ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* (Hebr. cap. 4. v. 14 et 16.)

3°. Patet Religionis Christianæ excellentia, in præscribendis officiis, quibus erga proximum obstringimur. Præcipit enim alteri non faciendum, quod nobis fieri nolimus, servandas esse erga illum æquitatis leges; alios homines, etiam nobis inimicos, sincerè diligendos esse, ac proinde pro viribus adjuvandos; eò maximè spectat, ut homines arctissimis caritatis nexibus devinciat, utque ipsis humanitatis et benignitatis sensus inspiret. Et verò quænam alia Religio ardentissimam eam caritatem in animis accendit, quæ tot viros Apostolicos impulit, ut pro salute hominibus affrendendâ, nullos labores, nulla pericula, nulla supplicia defugerent?

4°. Non minùs conspicua est Christianæ Disciplinæ sanctitas, in his quæ ad nosmetipsos attinent: sobrietatem, temperantiam, animum in adversis patientem, et in rebus prosperis moderatum præscribit; ambitionem, molitiam, fastum, luxuriam prohibet; tum animi, tum fortunæ bonis ut legitimè, et juxtâ voluntatem divinam utamur, præcipit; actus, sermones, ipsasmet cogitationes sapientissimis dirigit regulis, ut in iis nihil nisi rectum sit Deoque dignum, vel ipsam peccati speciem et umbram jubet effugere.

5°. Denique in exponendis natura, statu et fine hominis, præcellit Religio Christiana: docet enim hominem ex corpore mortali et anima immortalis esse constitutum; eum ad veritatis et Dei cognitionem, virtutemque sectandam conditum esse; ipsi in altera vita destinatum aut mer-

eodem aut pœnam æternam, prout benè vel malè vixerit; quibus nullum est efficacius virtutis incitamentum, nullum coercendis vitis et cupiditatibus frenum potentius. Docet hominem in meliori statu, nimirum in sanctitate et innocentia, creatum fuisse; ex ea verò felicissimâ conditione per peccatum miserè excidisse. Sic facilè solvitur ænigma veteribus Philosophis inextricabile; cur scilicèt homo tot miseris, morbis et infirmitatibus conflictetur; cur ipsius ratio tam densis tenebris obnubiletur; cur ad vitia tam proni nascamur et proclives.

Quo pacto fieri potuit Christus ex parentibus pauperimis natus, qui nullam scientiis humanis operam dedit, tam sublimia et sancta tradiderit morum præcepta, tam eximiam divinamque dogmatum complexionem excogitaverit, nisi ipso revelante et inspirante Deo? Ergo divina est Religio Christiana.

At, inquit Deistæ, nonne apud Christianos nunc vigent horrenda vitia, pessimaque depravatio? non est igitur quod tantoperè extollatur Doctrinæ Christianæ excellentia et sanctitas.

Fatemur quidem luctuosis hisce temporibus, mores in pejus mutatos fuisse, nosque à majorum innocentia longius distare: sed nihil inde concludi potest, quod argumenti nostri vim elidat. 1°. Quia longè major apud nos esset hæc morum corruptela, nisi præceptis Evangelicis, quodam veluti freno, coerceretur.

2°. Quia si Evangelica Lex eandem vim non exerat ad mores informandos, illud pravæ hominum voluntati tribuendum est, qui ad Evangelii regulas vitam componere detrectant; quemadmodum si quis remediis ad sanitatem restituendam aptissimis uti renuat, non inde sequitur nullam istis remediis vim et efficaciam inesse ad morbos curandos.

3°. Quantum sit in Doctrina Christiana ad ris

tutem incitamentum, probat experientia. Cùm enim prædicari cœpit Evangelium, effrenis ubique grassabatur corruptela et impietas; ad omne flagitium projecti erant homines. Ubi autem affulsit lux evangelica, quanta morum conversio facta est! Tunc visi sunt homines innumeri omnibus insignes virtutibus. Pietas, sanctitas, vitæ integritas, criminis fuga Christianos ab aliis discrimabant. Testis est Plinius junior, qui de Christianis ita scribit ad Trajanum Imperatorem: *Solitâ stato die ante lucem convenire... seque sacramento, non in scelus aliquod obstringere; sed ne furia, ne larrocinia et adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.* (*Lib. 10. Ep. 97.*)

ARGUMENTUM VII.

Ex perpetua Religionis Christianæ stabilitate

Constans et inconcussa Religionis Christianæ stabilitas, indubitatum est argumentum, eam divinitus institutam esse, potentiissimoque Dei præsidio circumceptam. Variarum enim quæ diversis temporibus prodierunt, sectarum historiam perlustra, et faciliè deprehendes eas postquam plùs minùsve celebritatis obtinuerunt, tandem extinctas esse et oblivione consepultas. Eamdem fortunam si non experta fuerit Religio Christiana, singulare illud beneficium non debet, nisi summæ Dei potentia, quæ semper munita fuit. Sola enim longè pluvibus conflictata est vexationibus, quàm ceteræ omnes simul institutiones (*Établissemens*). A mille et septingentis annis, quot pericula, quot certamina nonne habuit sustinenda?

Eam tamen videmus omnibus superstitem erroribus, inter varias rerum humanarum vicissitudines, inter populorum ruinas, inter innumeras Imperiorum conversiones immotata stare. Nec

Conjurata Principum potentia, nec obstinata Dæmonum improbitas, nec impiæ Novatorum molitiones, nec Hæreticorum fraudes, nec fidelium corruptela, nec temporis diuturnitas, quæ omnia sensim absumit et delet, eam evertere potuerunt. Quemadmodum aquæ diluvii super universam terram effusæ, arcam supremo Numine protectam confringere non potuerunt, sed eam tantùm sublimiori in loco posuere: ita diversæ procellæ et tempestates quibus agitata fuit Religio Christiana, et fidissima illius custos Ecclesia, ad illud tantum profecerunt, ut novam ipsi majestatem adderent, eamque efficerent magis conspicuam.

Quis Religionem hanc semper lacessitam, nunquam autem victam inspiciens, in perpetuis ipsius victoriis divinam opem et constans miraculum non agnoscat? Quis sanus non fateatur cum Judæorum sapientissimo, divinum illud opus esse, in cujus excidium omni molimine frustrâ incubuerunt homines? *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.* (*Act. 5. 38.*)

